Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2125
Quelle:
Copyright:

DCCCLXXXII

R. 2224 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 704. f. min. per duas columnas angustas in membranis lectissimis summo nitore, nigro rubroque exaratus, literis initiorum omnibus partim auro, partim floribus, partim icunculis artificiose picturatis speciosus, optime servatus, et quondam Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis Breviarium* est praevio *Calendario*, e quo tamen haud est dispicere, in cujus peculiaris Ecclesiae usum conscriptum fuerit. Magnus in eo Sanctorum miniatorum numerus, cuivis mensi aureum Zodiaci Signum, et τα Εργα Mortalium egregio penicillo adjecta sunt. Ita *Januario Janus* bifrons indulget epulis, *Februario* Seniculus ad focum membra fovet, *Martio* Rusticus ramos amputat &c Placita item astrologica ad menses singulos habes:

Januario: *Prima dies iani timor est et septima uani.*
Nona parit bellum. sed quarta dat hora flagellum.

Februario: *Alterius mensis post quartum tercius ensis.*
Nullus ut octaue uel dene dixerit aue. &c.

Sunt et chronica quaedam, v. g.

Cedit yems retro cathedrato symone petro.
Extrema pasce tua decet passio marce.
Ver fugat urbanus. estatem simphorianus.
Restat in autumpno festum clementis ad usque.
Festum clementis caput est yemis orientis

Ex ipso Breviario haec observo. In Hymnario *fol.* 105. *Clara Assisias* proprios Hymnos habet. *Fol.* 109. *Incipit ordo breviarij secundum consuetudinem romane curie;* Psalmodia enim communis per Dominicam et Ferias praecesserat. *Fol.* 391. *Incipiunt festiuitates sanctorum. Fol.* 399. *In conceptione sanctissime uirginis marie* nihil de praeservatione a noxa originali. Lectiones sunt de Revelatione facta *Helsino, Elsino, Elpino* Abbati Monasterii *Ranusiensis* seu *Ramensis* in *Anglia* circa a. 1070. cujus etiam meminit *Baronius* in *Martyrol.* ad diem 8. *Dec.* et Oratio sic habet: *Supplicationem seruorum tuorum Deus miserator exaudi. ut qui in sanctificatione dei genitricis et uirginis marie congregamur. eius intercessionibus complacatus. a te de instantibus periculis exuamur. Fol.* 655. *Incipit comune sanctorum.* Sequitur *officium beate marie, officium in agenda mortuorum, ordo ad communicandum,* item *ad inungendum infirmum, ordo commendationis anime,* et *ordo benedictionis mense*